

## In Festo Sancti Pauli a Cruce, Confessoris.

**Introitus.** Gal. 2.

**C**hristo confixus sum  
cruci: vivo autem,  
jam non ego: vivit  
vero in me Christus:  
in fide vivo Filii Dei,  
qui diléxit me, et  
trádidit semetípsum pro me.  
Allelúja, allelúja.

**Ps. 40.** Beátus qui intélligit  
super egénium et paúperem: in die  
mala liberábit eum Dóminus.

**V.** Glória Patri.

**Oratio.**

**D**omine Jesu Christe, qui ad  
mystérium Crucis prædicán-  
dum sanctum Paulum singulári ca-  
ritáte donásti, et per eum novam  
in Ecclesia famíliam floréscere vo-  
luísti: ipsíus nobis intercessióne  
concéde; ut passiónem tuam júgi-  
ter recoléntes in terris, ejúsdem  
fructum cónsequi mereámur in cœ-  
lis. Qui vivis et regnas.

**Léctio** Epístolæ beáti Pauli Apóstoli  
ad Corínthios.

1. c. 1.

**F**ratres: Non misit me Chri-  
stus baptizáre, sed evangeli-  
záre: non in sapiéntia verbi, ut non  
evacuétur crux Christi. Verbum e-  
nim crucis pereúntibus quidem stul-  
títia est; iis autem qui salvi fiunt,  
id est nobis, Dei virtus est. Scri-  
ptum est enim: Perdam sapiéntiam  
sapiéntium, et prudéntiam prudén-  
tium reprobábo. Ubi sápiens? ubi  
scriba? ubi conquisítor hujus sæ-  
culi? Nonne stultam fecit Deus sa-  
piéntiam hujus mundi? Nam, quia

in Dei sapiéntia non cognóvit mun-  
dus per sapiéntiam Deum, plácuit  
Deo per stultítiam prædicatiónis  
salvos fácere credéntes. Quóniam  
et Judæi signa petunt, et Græci sa-  
piéntiam quærunt: nos autem præ-  
dicámus Christum crucifixum, Ju-  
dæis quidem scándalum, géntibus  
autem stultítiam; ipsis autem vocá-  
tis, Judæis atque Græcis, Christum  
Dei virtútem et Dei sapiéntiam: quia  
quod stultum est Dei, sapiéntius  
est homínibus; et quod infirmum  
est Dei, fórtius est homínibus.

Allelúja, allelúja.

**V. 2. Cor. 5.** Pro ómnibus mórtuus  
est Christus: ut et qui vivunt, jam  
non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis  
mórtuus est et resurrexit. Allelúja.

**V. Rom. 8.** Si filii, et hærédes: hæ-  
rédes quidem Dei, cohærédes autem  
Christi: si tamen compátimur, ut et  
conglorificémur. Allelúja.

**Extra tempus Paschale:**

**Graduale. Gal. 6.** Mihi autem absit  
gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri  
Jesu Christi: per quem mihi mun-  
dus crucifixus est, et ego mundo.

**V. 1. Cor. 1.** Non judicávi me scire  
áliquid inter vos, nisi Jesum Chri-  
stum, et hunc crucifixum.

Allelúja, allelúja.

**V. 1. Pet. 2.** Christus passus est pro  
nobis, vobis relínquens exéplum,  
ut sequámini vestígia ejus. Allelúja.

**Post Septuagesimam Tractus:**  
**1. Pet. 4.** Christo ígitur passo in  
carne, et vos eádem cogitatióne  
armámini: quia qui passus est in  
carne, désiit a peccátis.

**V. 2. Cor. 4.** Semper mortificatió-  
nem Jesu in corpore nostro circum-  
ferentes, ut et vita Jesu manifestetur  
in corpóribus nostris.

**V. Hebr. 12.** Adspiciétes in auctó-  
rem fidei et consummatórem Jesum,  
qui propósito sibi gaudio, sustinuit  
crucem, confusióne contémpsa, at-  
que in dextera sedis Dei sedet.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii se-  
cúndum Lucam. Lucae 10.**

**I**N illo témpore: Designávit Dó-  
minus et álios septuagínta duos:  
et misit illos binos ante fáciem su-  
am, in omnem civitátem et locum,  
quo erat ipse ventúrus. Et dicébat  
illis: Messis quidem multa, operárii  
autem pauci. Rogáte ergo dómimum  
messis, ut mittat operários in mes-  
sem suam. Ite: ecce ego mitto vos  
sicut agnos inter lupos. Nolíte por-  
táre sácculum, neque peram, neque  
calceaménta: et néminem per viam  
salutavéritis. In quamcúmque do-  
mum intravéritis, primum dicite:  
Pax huic dómui: et si ibi fúerit fi-  
lius pacis, requiescet super illum  
pax vestra: sin autem, ad vos re-  
vertétur. In eádem autem domo ma-  
néte, edéntes, et bibéntes quæ apud  
illos sunt: dignus est enim operárius  
mercéde sua. Nolíte transíre de do-  
mo in domum. Et in quamcúmque

civitátem intravéritis, et suscéperint  
vos, manducáte quæ apponúntur  
vobis: et curáte infirmos, qui in illa  
sunt, et dícite illis: Appropinquá-  
vit in vos regnum Dei.

**Offertorium. Ephes. 5.** Ambuláte  
in dilectiÓne, sicut et Christus dilé-  
xit nos, et trádedit semetípsum pro  
nobis oblatiÓnem et hóstiam Deo  
in odórem suavitátis. Allelúja.

**Secreta.**

**C**Æléstem nobis, Dómine, præ-  
beant mystéria hæc passiÓnis  
et mortis tuæ fervórem: quo san-  
ctus Paulus, ea offeréndo, corpus  
suum hóstiam vivéntem, sanctam,  
tibi que placéntem exhibuit. Qui  
vivis et regnas.

**Communio. 1. Petr. 4.** Communi-  
cántes Christi passiÓnibus gaudéte,  
ut in revelatiÓne glóriæ ejus gau-  
deátis exsultántes. Allelúja.

**Postcommunio.**

**S**umpsimus, Dómine, divínium  
Sacraméntum, imménsæ cari-  
tátis tuæ memoriále perpétuum:  
tribue, quæsumus; ut sancti Pauli  
méritis et imitatiÓne, aquam de  
fóntibus tuis hauriámus in vitam  
æternam salientem, et tuam sacra-  
tíssimam passiÓnem córdibus no-  
stris impréssam móribus et vita  
teneámus. Qui vivis et regnas.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 1. Aprilis 1869.

J. M. Reger, Vicar. in Spirit. Generalis.